PAMFLET
1377

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1377

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1377

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1377

EPITAPHIVM

Celeberrimi Heroïs

IACOBI

AB

HEEMSKERCKE,

Qui quum

ILLVSTRISSIMORVM ORDINVM

Fœderatorum nomine, in ipſo *Gaditani Freti* oſtio Hiſpanorum claſſem fortiſsime impugnaret,

Suis ingentem victoriam præbuit;

Ipſe vero baliſta maiori ictus occubuit die XXV *Aprilis,* Anni clↄ Iↄc VII.

KONINKL. BIBLIOTHEEK TE 'SHAGE.

AMSTELDAMI,

Ex Officina Cornelij Nicolai, Bibliopolæ.

M. DC. VII.

1377

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1377

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1377

EPITAPHIVM

Celeberrimi Heroïs

IACOBI

AB

HEEMSKERCKE.

BATAVA *tellus, tuque regnatrix freti*
Amſtella, *portus explica triſtis tuos,*
Dum luctuoſum patriæ trahens onus
Subeat carina: nempe quem Nereus *vagus*
Nec noſter orbis cepit, aut Iber *ferus*
Niſi extremiſcens vidit, hunc (dolor dolor!)
Carina diro vulnere oppreſſum vehit.
Ite, ite Cives, ſiſtite ah Cives pij
Medio hoc feretrum: tuque frænatrix maris
Domitrix Tyrannûm natio, huc circum frequens
Ito in coronam: ſcilicet iuſtas, viri,
Lachrymas ad urnam ſolvite, hic iacet iacet
Clamate mecum, Magnus hic Heros iacet.

 Spectate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1377

Spectate Cives, dumque ſpectatis ſimul
Laudes, honorem, geſtaque, & mortem pijs
Narrate verbis, ipſe quinimo lubens
Præibo, Iambis ſuccinant omnes meis.
Hunc quem videmus Belgici *decus ſoli*
Hæc terra quæ nunc auferet quondam dedit.
Naſcenti alumno riſerat Thetys *anus,*
Puerumque dulci foverant Nymphæ *ſinu.*
Dein per furentes horridi fluctus ſali
Duxere tutum, turbidas Euri minas,
Et incidentis Africi nimbos truces
Primum docentes noſſe, mox etiam pati.
At cum viriles poſt modum curas tulit
Tempusque & ætas, ſordidum ſpirans nihil
Magniſque natum pectus inſolitos prius
Tentavit auſus, quoſque poſteritas legat
Non ante lectos, ipſa miretur Thetys.
Hic qui vocatur Orbis innixus polis
Hæret duobus, cuncta quos circum rotat
Vertigo cœli: ſurgit ad dextrum latus
Borealis alter, alter adverſo ſitu
Nobis in Auſtrum ſemper occultus latet.
Sub his perenne frigus, & perpes gelu,
Nebulæ, maluſque Iupiter regnum tenent.

At quid

At quid ſub Auſtro ventus & nimbus creent
Ignoret ætas poſtera, & tuto quidem
Ignoret illud: alta vaſtities tenet
Plagam, nec uſum greſſibus noſtris habet.
Sed quâ Triones parte ſe Septem Levant,
Sic ut rotatus leviter obliquos trahant,
Hac ſeſe in Eurum vertit (ut fama quidem
Narratur) unda, Barbarum incurrens fretum,
Inhoſpitamq; Tartarûm *lavans humum:*
Donec per Eurum rurſus obverſo gradu
Flectens in Auſtrum, regna Cathayæ *videt,*
Diteſque Sinas, *quæque per magnum vagæ*
Numero carentes Inſulæ Oceanum iacent.
Sic dubia nobis fama iamdudum canit
Ignota priſcis: qui tamen tantos maris
Quærat receſſus ante non quiſquam fuit.
Stimulat cupido laudis & celſum decus
Heroa noſtrum: calle non trito prius
Viam ſequutus, clauſtra naturæ ſacra
Tentat carina. Vidit infelix ſolum
Domibus negatum: quoque mortalis pedem
Poſt orbis ortum nemo, quod notum eſt, tulit,
Hic ille venti victor & maris ſimul
Poſuit trophæum, condidit fixum larem.

Vidit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1377

Vidit nitentem ſole perpetuo diem,
Vidit carentem. Cumque poſt ſtatas vices
Noctis trimeſtris, Phœbus auratum caput
Paullatim in auras extulit brevi morâ:
Geſtîbat ultra pectus inſuetum metus,
Verum alta rupis inſtar hinc illinc ratem
Glacies tenebat, quin & hybernæ nivis
Montes tremendi creverant, Pontus viam
Puppi negabat horrido aſtrictus gelu.
Quid faciat? aër, terra, cum cœlo fretum,
Obſtant carinæ cuncta nec reditum ferunt.
Ergo ille doctus ſæpe pauperiem pati
Pro nave laudem portat ingentem domum:
Illamque honoris teſſeram æternam ſui
Peregrino in Orbe linquit, ac cymbâ levi
Quà potuit undas auſibus ſulcat novis,
Quà fluctus autem frigore hyberno ſtetit,
Hac ipſe cymbam ſic velut plauſtrum trahit;
Dum portum in orâ forte vicina tenens
Mox inde dulcem patriæ terram venit.
    Salve Argonauta noſter, æternam tibi
Nectet coronam quiſquis Oceanum colit.
Sed hanc adeptus lauream, impatiens moræ
Aut mollis otî, mox novum paras opus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1377

Antiqua doctos quos viros ætas tulit
Variæ carentes artis, anguſtum nimis
Fecere mundum: crevit interea labos,
Crevere terræ, crevit Oceanus pater.
Nunc currit ingens Africi littus ſoli
Tremenda in Auſtrum mole, trans Indum iacet
Quaſi alter orbis, ipſe Gangeticus ſinus
Gentes tot ultra quot fere citra videt.
Hoc Luſitano iure debetur decus,
Quod primus illac duxit audacem ratem:
Quam poſt refertam merce multi iugà domi
Gemmiſque & auro divitem in portu ſtitit,
Stititque ſolus. Nempe Romani Iovis
Subnixus aura gentium curſus vagos,
Arcebat inde, donec hunc ipſum Deus
Tentare caſum Batavo in mentem dedit.
Poſcebat altos ſpiritus cœptum novum,
Artemque raram: quique præſtaret niſi
Hic noſter Heros aptior nemo fuit:
Sed tum nivales, aream laudis ſuæ,
Terras tenebat, gloriæ haud molem viam.
At quod vetarant fata ne primus queat
Saltem ſecundus audet: utque Arcton prius
Ipſe hoſpitalem fecit exemplo novo,

Sic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1377

Sic nunc calentem torrida Solis face
Longinquus hoſpes contigit plagam pede.
Ter ipſe circum corpus hac illac ſuum
Quæſivit umbras, umbra ſed nuſquam fuit.
Ter ipſe cœli forte ſuſpectans domos
Quæſivit Vrſas, quaſque (ſed vanâ fide)
Narrant Poetæ ſemper arceri freto,
Invenit altis ſemper immerſas aquis.
Ter ipſe terras arte metitus ſuâ
Phœbique *curſum, dixit hoc Orbis ſolum*
Quam pæne noſtro figit adverſum pedem?
Quidplura? vidit quidquid indictum viris
Dictumque priſcis, non tamen viſum fuit.
Vidi ſtupentes ſæpe longævos patres,
Pendentem ab ore civium totum gregem,
Dum forte caſus ipſe narraret redux.
Salue Argonauta rurſus, hinc novam tibi
Iterum coronam Civitas parat frequens.
Sed tu mereri ſimplicis lauri decus
Non ſat decorum vertici credis tuo.
Mox ergo honoris auctus excelſo gradu
Iter remenſus per maris noti vias,
Veſtigijſque ſemper inſiſtens tuis
Iſti rediſti denuo, haud caſſâ manu,

Sed

Sed Luſitanam *dexterâ hoſtili domum*
Gazam reportans, præmium Martis feri
Quem tu per omnem pæne miſcueras diem.
Ergo & coronam Barbaro carptam ſolo
Adoreæque & duplicis cauſa viæ
Dux magne cingas triplicem circum caput.
Nondum iugalis ſenſerat vinclum thori,
Nec dulce patris nomen audirat prius.
At tum laborum feſſus, in ſuavi ſinu
Statuit quietem carpere: & pater quidem
Etiam & maritus dictus eſt brevi morâ.
Cum dulce utrumque pignus ablatum dolet
Viduus & orbus, ecce longinqui nimis
Tædere rurſus otij ſenſim incipit
Animum quietis neſcium: hic hæret tamen
Quid ipſe dextrà iudicet dignum ſuâ.
Vrgebat acer Batavi *fines ſoli*
Hiſpanus *armis. Claßis huc nervum dabat*
Quam dives Indus *mittit, (hic Eurum colens,*
Ille Occidentem) ſumptibus ſemper novis.
Viſum eſt fluentis obſtrui venam mali,
Ne morbus atram Patriæ mortem ferat:
Sed hanc Medelam cui viro legent Patres
Quærunt & ipſi: iamque quæſierant diu,

Cum præter iſtum cuius hic flemus necem
Nemo inveniri dignior quiſquam poteſt.
Spectata virtus ſcilicet rebus malis,
Et prompta pugnæ dextra, tum ponti minis
Ventiſque legem dicere aſſueta manus,
Celſæ cupido laudis, & notæ nimis
Artes liberæ, Numiniſque ingens metus,
Amorque Patriæ, cuncta commendant ſimul.
Exſultat Heros, quodque iampridem vetat
Ambire honeſtas & verecundus pudor,
Capeſſit, ultro lætus oblatum ſibi.
Poteras honorum forſan atque opum ſatur
Securus illam degere ætatem domi,
Sed ſic trahebant fata, non Belgis *quidem*
Inimica fata, ſed tuæ finem tibi
Latura vitæ. Scande belligeram ratem
Tibi hæc Charontis cymba, ſed Patriæ *tamen*
Miniſtra laudis poſtmodum felix erit.
Ibant in altum vela, ſpirabant necem
Peſtemque Iberis pectore atroces viri,
Tagi *legentes ora, nec quidquam citra*
Vltrave tutum per vagos fluctus erat:
Cum nuncia aures Fama percellit frequens,
Verſari in imo Gadium *arctarum ſinu*

Multo

Multo refertas milite & crebris virûm
Telis carinas, claudere Herculeum Fretum,
Arcere naves, aut rapaci dextera
Captare prædas, reddere infeſtum mare.
Quam dux ut acer aure ſermonem bibit,
Virtutis hic eſt magna materies meæ
Exclamat, inſtat promptus ac proras iubet
Converti in hoſtem: cernit inſtructas procul
Sub arcis altæ ſtare tutela rates,
Et vim iuventæ: nil tamen fortem poteſt
Animum morari, quiſquis ô civis, ait,
Virile pectus geſtat hic probet licet,
Mediamque turbam rumpit. Infelix nimis
Ah illa virtus! ecce fulmineo globus
Excuſſus antro, dirus, (ah dolor!) globus
Heu cædis illum pæne primitias dedit:
Cecidit cruentus vulnere infando lacer,
Et iam premebat ferreæ noctis ſopor
Oculos feroces, cum tibi Pater Pater
Animam remitto, dixit, in cœlum meam
Specta benignus; voſque navalis manus
Fortes in hoſtem pergite, hun cenſem precor
Pro me capeſſat alter, en feror feror;
Dictoque vocem rupit & vitam ſimul,

 Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1377

Sed non inultus: inſtat haud ſegnis tamen
Infracta pubes vindices iras gerens.
Heu quot iacenti miſit inferias duci,
Aut merſit undis! cernere hinc triſtes erat
Per laxa navis tranſtra cæſorum greges
Tabo fluentes, inde ſemineces viros
Luctari in alto iamque ſorberi freto.
Quin quod nequibant fluctus & ferri furor
Haurire, flammæ ſenſit ultricis minas,
Nec ulla Iberis *defuit facies mali.*
Sic ſic iuventus: ſic iubet iuſtus dolor
Patriæ tuuſque, ſanguis hoc inſons iubet
Quem dirus atrâ fudit Hiſpanus manu.
Ingens videri iure lætitiæ ſeges
Oborta Belgis *poterat, atque erat quidem,*
Ni triſte nobis gaudij fatum meri
Negaſſet uſum: quippe dum feſtos agunt
Cives triumphos, funus ab Heros tuum
Mæſto tuentes ore non lachrymas tenent.
Tu nunc per altas aurei cœli domos
Securus ævi (ſic quidem pietas fuit)
Regnas beatus, nos gravis luctus manet.
Batava *tellus vindicem amiſſum dolet*
Decuſque grande, ſordidi mœrent Patres

Stetiſſe

Stetiſſe tanti adoream, ferox Iber
In clade tanta gaudet hoc ſolum tamen.
Ergo, quod unum poſt necem dari poteſt,
Nos hoc feretrum triſtibus circum vias
Humeris feremus; ſumat exemplum ſibi
Animum virilem quiſquis aut mollem gerit.
Quin has, laboris perpetes teſtes tui,
Paries ſepulchro dexter exuvias feret,
Criſtamque & Enſem: marmor exciſum notà
Seris nepotum poſteris index erit.
Te nempe quiſquis Belgici *priſcos ſoli*
Olim ſagaci volvet Annales manu,
Inter Batavos *ſemper Heroas leget.*
Et ſi Camœnæ ſpiritum Phœbus *mihi*
Latiæ dediſſet, iret æternum tibi
Virûm per ora verſibus decus meis.

In diem Iunij 8, quo Clariſſimus Heros cum ingenti omnium ordinum Comitatu terræ mandatus eſt, & mox triumphus ob inſignem quam paraverat Victoriam publice actus.

VIdimus heu mœſtam lachrymas gemituſque per urbem,
Vidimus heu tardo funus obire pede:
Vidimus atratos denſo circum ordine cives
Heu tacitas longâ verrere veſte vias:
Vidimus ut verſis miles procederet armis,
Et ſtreperent triſti tympana pulſa ſono:
Machina bellatrix pendentiaque æra tonabant,
Sed tonitru tantum nil niſi luctus erat.
Ecce autem verſâ ſubito cum veſte figurâ
Lætitiæ tantum nil niſi ſigna vides.
Pro lachrymis cantum, pro funere (cerne) triumphum
Cum Patribus civis, navita, miles, agit:
Machina bellatrix, pendentia turribus æra
Iam reboant plauſu concomitante levi.
Quid facies velit illa, ſibi diverſa, requiris?
Hoc breviter novus hic quiſquis es hoſpes, habe:
Extulimus lætum, jubet hoc victoria, funus:
Nunc triſtis nobis inde triumphus erit.

Luſit
CASPARVS VVILTENS
Antwerpianus.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1377

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1377